4

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,
QUA

EORUM, QUI JUVENTUTI EDUCANDÆ PRÆSUNT, OFFICIA EXAMINANTUR ET DEMONSTRANTUR,



QUAM,
AUSPICIIS
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIÆ LANDGRAVII RELIQ.
ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE
VIRO PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO,


D. JOH. ADOLP. HARTMANN,

HIST. ET ELOQUENT. PROF. P. O.
PRÆCEPTORE ET PATRONO ÆTATEM COLENDO, VENERANDO,
PLACIDÆ DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI,
AD DIEM XXII. SEPTEMB. ANNI MDCCXL.
HORA X. MATUTINA,
IN PHILOSOPHORUM ACROATERIO,
SPECIMINIS CONSUETI LOCO
SUBJICIT

HENR. WILHELMUS ESKUCHE,

WOLFHAGA - HASSUS. AUCTOR.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPP. CASIMIR. MULLER. ACAD. TYPOGR.



EXERCITATIO PHILOSOPHICA.

QUA

EORUM, QUI JUVENTUTI EDUCANDÆ PRÆSUNT, OFFICIA EXAMINANTUR ET DEMONSTRANTUR.

Juventutem reip. olim futuræ basim esse & ab ea civitatem ejusque felicitatem & infelicitatem pendere, tam liquidum est, quotidiana docente experientia, ut de eo nemo hominum queat dubitare. Utut enim id gratis etiam demus, accidere posse, ut Alcibiades aliquis, in juventute dissolutissimus, suæ olim reip. insigni sit amolumento, tam rari tamen istiusmodi sunt casus, ut miraculi imo phœnicis instar valeant existimari; potius, cum ipsa educatio totius futuræ vitæ ut exordium, ita & fundamentum sit, adeoque, quotquot unquam sapuere mortalium, primam omnium eam existimaverint esse curam suam,

ut liberi quam curatiſſime educentur, non omnino inutilem nos ſuſcepturos operam judicavimus, ſi eorum, quibus educandæ juventutis cura eſt commiſſa, officia & examinaremus, &, quantum vires noſtræ valeant exploraturi, demonſtraremus.

§. I.

Quales ſint actiones hominum.

Actiones hominum ſunt vel liberæ vel neceſſariæ. Omne enim ens ſimplex gaudet vi agendi, anima vero humana eſt ens ſimplex, proinde extra controverſiam erit, animam humanam vim agendi habere; ipſæ vero animæ actiones & operationes, vel ſe exſerunt in re cognoſcenda, vel volenda. Quæ intellectui tantum ſubſunt, dicuntur *neceſſariæ*, quæ autem a voluntate proficiſcuntur, *liberæ*, cum vero anima hominis duplicem hanc facultatem tantum habeat, actiones ejus vel ſunt neceſſariæ vel liberæ.

§. II.

An homo libere agat.

Dantur actiones hominis liberæ. Homo conſtat corpore organico & anima rationali; hæc autem duo entia harmonice agunt, ita, ut ad nutum animæ corpus agat, & viceverſa; ergo voluntati etiam ſubjiciuntur corporis actiones, actiones autem (§. 1.) quæ voluntati ſubſunt dicuntur liberæ, cumque tales etiam ſint actiones corporis, dantur corporis actiones liberæ. Homo vero cum tantum conſtituatur per animam rationalem & corpus organicum, hæc vero duo libere agant; dantur actiones hominis liberæ.

§. III.

Actiones hominis li-

Actiones hominis liberæ vel poſſunt eſſe bonæ, vel malæ. Omnis actio, adeoque etiam libera, mutatio-

tationem inducit, quia vero mutatio in homine statum hominis absolvit, ex actionibus liberis status in homine enascitur. Quando vero mutabilia in homine tantum considerantur, *status internus* adest; sin autem relationum habetur ratio, quas homo extra se habet, *status externus* locum obtinet. Perspicuum igitur est ex actione libera sequi & *statum internum* & *externum*. Si status, quo afficitur homo, conformatur iis, quæ constanter insunt, ita ut eundem finem habeat cum naturalibus animæ & corporis, status hominis perficitur; quando autem status, quo afficitur homo, naturæ hominis repugnat, imperfectior redditur, juxta rationem perfectionis & imperfectionis. Actio itaque libera vel potest statum hominis perfectum reddere vel imperfectum, actio vero libera, quæ perfectioni status conducit, dicitur *bona*, quæ autem imperfectionem ejusdem efficit, *mala*; propterea actiones hominum liberæ vel possunt esse bonæ vel malæ.

Liberæ sunt vel bonæ vel malæ.

§. IV.

Existit obligatio vel ad volendum vel nolendum. Voluntas & Noluntas determinantur per motiva, ita, ut, quidquid agimus libere, non tamen sine motivis agamas. *Connexio motivi cum actione* dicitur *Obligatio*, ergo actiones liberæ certam secum habent obligationem; actiones liberæ sunt actiones vel voluntatis vel noluntatis, adeoque existit obligatio ad volendum vel nolendum.

Datur obligatio ad volendum vel nolendum.

§. V.

Homines obligantur ad bonum faciendum & ad malum omittendum. Cum actiones bonas, quando ea-

Homo obligatur ad bonum fa-

ciendum & malum omittendum. do earum honeſtatem intrinſecam nobis repræſentamus, velimus; malas autem, dum turpitudinem earum intrinſecam cognoſcimus, nolimus; obligatio adſit, neceſſe eſt, ad actiones bonas patrandas & malas omittendas (§. 4.); quia patramus, quod volumus, omittimus, quod nolumus. Claret igitur, homines obſtrictos eſſe ad bonum faciendum & malum omittendum.

§. VI.

Lex eſt, fac bonum, omitte malum. *Fac bonum, omitte malum, lex eſt.* Fac bonum, omitte malum eſt propoſitio, ſecundum quam actiones noſtras liberas inſtituere tenemur, *Propoſitio, ſecundum quam actiones noſtras liberas inſtituere debemus*, eſt *Lex*, adeoque lex eſt, fac bonum, omitte malum.

§. VII.

Status hominis perficiendus eſt. *Cum ſtatus hominis internus, tum externus, perficiendus eſt.* Omnis homo adſtrictus eſt ad legem ſervandam, lex autem jubet, ut faciamus bonum, omittamus malum, cum autem bonum ſit, quod & ſtatum internum & externum perficit, malum, quod utrumque reddit imperfectiorem; omnis homo utrumque ſtatum perfectiorem reddere debet, & e contrario ea, quæ imperfectionem promovent, omittere.

§. VIII.

Parentes debent ſtatum liberorum perficere. *Parentes liberorum ſtatum cum internum, tum externum, perficere debent.* Liberi ſunt homines, adeoque (§. 5.) obligantur ad bonum faciendum & malum omittendum, cum vero rationis uſu & corpore firmo adhuc ſint deſtituti, adeoque, ſibi ſolis relicti

relicti, nec statum suum internum, nec externum, perficere queant: Ubi autem aliquis aliqua re indiget, quam ipse acquirere nequit, alii illum adjuvare obligantur, liberi ab aliis postulare possunt, ut ipsis alii succurrant. Si alii liberorum statum cum internum, tum externum, perficiunt, eos educare dicuntur, parentes autem, qui liberos procreant, eosdem etiam educare tenentur, necesse etiam est, ut parentes liberorum statum, cum internum, tum externum, perficere studeant.

§. IX.

Gubernator quis?

Gubernator est persona, cui cura status liberorum perficiendi ab eo commissa est, qui liberos educare tenetur. Status internus complectitur corporis & animæ perfectiones, externus præcipue genus vitæ, cui admovendi sunt liberi. In utroque statu perficiendo quamvis (§. 8.), laborare debeant parentes; attamen, quia usu ipso percipimus, munera in rep., sive publica sint sive privata, tam varia esse, tam multiplicia, ut unicus homo & iis administrandis, & liberis simul educandis, nequaquam possit sufficere: potest pater, qui est caput familiæ, vel alius, qui liberos educare tenetur, cum persona quadam pactum inire, ut illa persona loco ipsius curam gerat liberorum, quo status illorum perfectior reddatur, cui personæ vicissim is, qui liberos educare tenetur, certam constituat mercedem. Personam adeo talem, quem gubernatorem dicimus, aliter definiri non posse intelligimus, atque quod sit persona, cui cura status liberorum perficiendi ab eo commissa est, qui liberos educare tenetur, quæque

adeo

adeo ex pacto gerit curam ſtatus liberorum perficiendi.

§. X.

Gubernatoris officium circa victum & amictum.

Gubernator curare debet, ut ſoboles ipſi commiſſa victu & amictu ſalutari inſtruatur. Soboles humana ubi naſcitur, in actu tantum primo facultates animæ & corporis in illa ſe exſerunt, ita ut ſucceſſive cum corpus, tum anima, habitus ſuos acquirat, propter harmoniam vero, quæ animam inter & corpus intercedit, id inſuper experientia certum, quod corpore male affecto anima actiones ſuas producere nequeat, tantum abeſt, ut eæ ad certum finem dirigi poſſint, corporis noſtri ratio habenda eſt, ut illud ad ſuam perfectionem perducatur; eſt autem perfectio corporis valetudo ejuſdem & firmitas, ad quem utrumque ſcopum facit victus & amictus. Talis proinde victus & amictus a gubernatore commiſſis ſuæ educationi liberis porrigi debet, ut valetudini & firmitati conſulatur, id quod ſine victu & amictu ſalutari obtineri nequaquam poterit. conf. WOLF. *Jus Naturæ Tom. I.* §. *644.*

§. XI.

Cibi ſanitati conducentes eligendi.

Cibi, ſanitati conducentes, a gubernatore eligendi ſunt. Cibi crudi & duriores valetudini nocent, ergo alimenta nec cruda, nec concoctu difficiliora educandæ ſoboli præberi debent, nec permitti; Si cibi nimium ſint delicati, ipſum corpus hominis, iſtiuſmodi cibis paſtum, emolleſcit & debita nervorum firmitate deſtituitur, propterea nec cibi nimis delicati dari debent, & quoniam ancillæ vel nutrices cibum præparant & apponunt, illis injungi

debet,

debet, ut cibi sanitati liberorum conducentes, quos gubernator ipse præscribere poterit, eligant apparentque.

§. XII.

Corporis firmitas curanda.

Corpus teneræ adhuc sobolis firmum est faciendum & conservandum. Corporis enim perfectio cum consistat in aptitudine motus, appetitionibus & aversionibus animæ convenientes, producendi, & situs tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum, determinandi, ea vero aptitudo sine corporis firmitate obtineri nequeat, ut experientia nos docet in iis, qui corpore sunt infirmo, gubernatori profecto incumbit curare, ut corpus commissæ sibi juventutis firmum faciat & conservet.

§. XIII.

Hinc exercitia & seria & ludicra suppeditanda.

Modica ideo & ludicra & seria exercitia juventuti suppeditanda. Modica juventutis exercitia, sive ludicra sint, sive seria, & conjunctus cum iis labor, dum motu modico vitalem hominis calorem conservant, nervos ipsos & reliqua corporis organa, motui destinata, ad varios motus expedita faciunt, corpus firmum & ad labores motusque alias postulatos robustum & aptum efficiunt, ad eam vero aptitudinem (§. 12.), cum firmitas corporis requiratur, quin modica exercitia suppeditari debeant, nemo poterit dubitare. Ideo etiam FULGENTIUS de corporis exercitatione sic loquitur: est vitæ humanæ conservatio, caloris naturalis lima, excitatio dormientis naturæ, virtutum corroboratio, superfluitatum consumptio, otio inimicum temporis lucrum, juventutis debitum & senectutis gaudium. Hinc

PLATO vult, ut corpus & animum exerceamus. Et qui in pueritia, adolescentia & juventute corpus exercuere, sæpissime fundamentum posuerunt senectutis & viridis & robustissimæ, ut Argantonius, qui juxta CICERONEM *de Senectut.* & PLINIUM centum vixit & viginti annos; ut Gorgias Leontinus, qui vitam produxit ad annum centesimum & Septimum; ut Sophocles, qui in ipsa senectute jam adulta, singulari fuisse & corporis & animi vigore, memoratur.

§. XIV.

Facultas inferior recte ducenda.

Curandum etiam gubernatori, ut facultas inferior ad actum bene perducatur. Quia enim homo præter corpus anima etiam constat, perfectionis multiplicis capace, ab ipso liberorum, fidei ipsius commissorum, curatore perfectio eorundem studiose procuranda, ideoque solicite ab eo invigilandum, ut ii, qui ipsi commissi sunt, animæ etiam perfectiones quam possunt maximas acquirant. Constat autem anima duplici facultate & cognoscitiva & appetitiva, proinde & Cognoscitiva & Appetitiva a gubernatore quam studiosissime erit excolenda. Cognoscitiva vero cum distinguatur in Superiorem & Inferiorem, ipsa etiam facultas cognoscitiva superior ab inferiore dependeat, ita ut illa sine hac locum habere nequeat; consequitur inferiorem facultatem, quæ exercendo successive perficitur, per solicitam gubernatoris industriam ad actum bene perducendam.

§. XV.

Sensus ad rectum usum adducendi.

Circa rectum sensuum usum gubernator solicitus esse debet. Facultas Inferior dispescitur in tres alias, Sensationem, Imaginationem & Memoriam;

Imagi-

Imaginatio & Memoria operari nequeunt absque sensationibus, Sensationes itaque primum sunt, de quo in commissa fidei suæ juventute tenera solicitus debet esse gubernator, ut illæ rectæ sint, neque occasionem ulterius a perfectione, ad quam homo obstringitur, aberrandi præbeant.

§. XVI.

Organa sensoria præservanda sunt ab omni vitio. Formantur nimirum sensationes conformiter iis mutationibus, quæ in organis sensoriis accidunt, proinde organis sensoriis aut aliquo vitio laborantibus aut quovis modo corruptis, mutationes legitimo modo fieri non possunt, hoc vero si eveniet, sensationes sive ideas sensuales falso res, quæ mutationem inorganis efficiunt, repræsentare necesse est, organa itaque sensoria ab omni vitio aut corruptione præservari debent ab eo, cui cura alterius educandi commissa est.

Organa sensoria ab omni vitio servanda.

§. XVII.

Sæpissime ea exhibeantur juventuti, quæ ipsi perquam nota esse cupimus. Experientia quemlibet docet, nos non ea tantum, quæ nobis præsentia sistuntur, percipere & nobis repræsentare, sed & olim percepta nos nobis denuo præsentia sistere posse, *illa* vero *facultas, quæ ideas absentes, jam olim habitas, reproducit*, dicitur *facultas imaginandi.* Imaginatio vero eo vividior & fortior est, quo recentior est & crebrius repetita sensatio; adeoque omne illud, quod juventuti perquam notum esse volumus, & ut sibi facile ejus ideas possit reproducere illud sæpissime nobis ut exhibemus, ita & a guberna-

Imaginatio & adjuvanda & promovenda.

tore, ut idem in suæ fidei commissa juventute obtineat, agendum erit.

§. XVIII.

Attentio procuranda.

Attentioni ut assuefiat educandus, solicite etiam curandum gubernatori. Præter imaginationem animæ humanæ etiam competit Memoria, per quam res, per imaginationem reproductas, recognoscimus; juvatur vero memoria non parum ab ipsa attentione, quæ in juvenibus per iteratam ejusdem rei præsentis perceptionem non parum excitatur; cum vero sæpe multum intersit, ut absentia recognoscamus, gubernatori in eo elaborandum, ut fidei illius commissi diu rebus attendere ab juventute assuescant.

§. XIX.

Pueri appetitu & aversatione sensitiva tantum ducuntur.

Teneri adhuc pueri appetitu tantum sensitivo & aversatione sensitiva instructi operantur. Etenim cum facultate cognoscitiva inferiori conjuncta est facultas appetitiva vel aversativa sensualis, quidquid vero homines sibi repræsentant tanquam bonum, id appetunt, quod vero sibi repræsentant ut malum, idipsum aversantur, cum autem in teneris adhuc pueris, & non raro etiam juvenibus, primo tantum operetur facultas cognoscitiva inferior, hæc autem confuse tantum bonum & malum repræsentet, appetere non possunt nisi bonum, confuse perceptum, & aversari non possunt nisi malum confuse itidem perceptum, ex confusa vero boni perceptione cum oriatur appetitus sensitivus, ex confusa mali perceptione aversatio sensitiva: consequitur in teneris adhuc pueris, non raro etiam juvenibus tantum esse appetitum sensitivum & aversationem sensitivam, quibus tantum instructi operantur.

§. XX.

§. XX.

Animi fidei suæ commissorum a gubernatore sunt investigandi. Cum enim gubernator fidei suæ commissos ad perfectionem perducere obligetur, experientia vero notum sit, diversas inesse hominibus, easque confusas, boni vel mali repræsentationes, ex quibus ipsorum appetitiones & aversationes, quasi naturales oriuntur, adeo, ut idem alius existimet esse bonum, quod alter malum habet, adeoque etiam hic ob aliquam rem tædio afficiatur, ob quam alius voluptate afficitur; quæ animi inclinationes & aversationes in pueris, & tenerioribus adhuc juvenibus, eo magis conspicuæ sunt, quo minus norunt simulare; quod itidem experientia nos docent, homines ea promptius exsequi, quæ ex naturali inclinatione appetunt, omittere vero illud, quod ex naturali aversatione aversantur; prudentis sane gubernatoris est, ut naturales hasce inclinationes & aversationes intime cognoscat, quo ita in iis, quæ facere æquum est, quantum fieri potest, naturali inclinatione vel aversatione ita utantur, ut simul æquitatem totius actionis vel noscere incipiant, vel, si cognitionis hujus capaces nondum sint, laudatam in rebus amandis contrahant consuetudinem, quæ deinde eos suaviter ad similia impellat. Eodem modo ipsi procedendum in iis, quæ sunt omittenda, quo ita naturali aversatione utatur, ad ea fugienda aversandaque.

Animi puerorum investigandi.

§. XXI.

Exempla boni & mali a gubernatore pueris ejus fideicommissis adduci debent. Nondum enim adulti

Exempla boni & mali sunt adducenda.

ulti cum rationis uſu perfećto deſtituantur, habeant tamen analogum aliquid rationis, exſpectationem nimirum caſuum ſimilium, quæ in eo ver'atur. quod quando certas olim circumſtantias & determinatos eventus, cum iis connexos, obſervavimus, recurrentibus iiſdem circumſtantiis eoſdem etiam exſpectemus eventus; pronum eſt ſtatuere, quia teneri adhuc per rationem bonum tanquam bonum cognoſcere nequeunt, uti nec malum tanquam malum, adeoque appetitum rationalem uti & averſationem rationalem non habent, quod, cum bonum & malum diſcernere nequeant, & tamen ab eo educandi ſint, neceſſarium ſit gubernatori, ut caſus ſingulares adducat, ubi quis bonum peregit, eventusque illud ipſum bonus eſt ſubſecutus vel ubi quis malum commiſit, cujus comes fuit eventus ſiniſter & adverſus. Unde & a majoribus noſtris eæ non improbatæ hiſtoriæ, quæ tenerorum adhuc captum nequaquam ſuperant, eoque ſunt modo comparatæ, ut teneræ adhuc mentes eam, cujus capaces ſunt, boni & mali cognitionem conſequantur

§. XXII.

Circa domeſticos quid curandum ſit gubernatori.

Domeſtici ne, gubernatoris fideicommiſſis præſentibus, turpe quid committant, ei ſedulo cavendum. Quia enim in tenera adhuc ætate conſtituti facultate tantum gaudent cognoſcitiva inferiori, non poſſunt non ea imitari, quæ, ab aliis facta, ſuis ſenſibus perceperunt; cum vero gubernatoris ſit eos educare, adeoque curare, ut, quidquid malum & vitioſum eſt, omittant, ejus etiam eſt cavere, ne quid mali, quoad ejus fieri poteſt, ſenſu percipiant, un-

de &

de & domeſtici obligandi, ne quid turpe aut prohibitum illis præſentibus patrent, aut, ſi agant contrarium, a conſortio illorum ſunt removendi.

§. XXIII.

Præmia bene agentibus danda.

Cum actionibus bonis educandorum ſæpe præmia ſunt conjungenda. Cum enim appetitus ſenſitivus eo vehementior fiat, quo clarius bonum menti ſiſtitur, imaginatio autem bonum clariſſime ſibi repræſentet, ſi id ſæpiſſime cum voluptate ſenſit, patet, appetitum ad bonum eſſe majorem, quo crebrius id bonum cum voluptate ſentimus, majorique adeo cum inclinatione educandi bonum agent, & actiones virtuoſas efficient, quanto frequentiorem ex iis voluptatem eos capere permittimus; cum autem educandi ex præmiis voluptatem capiant, ea, ut cum inclinatione majori eaſdem repetant, cum actionibus, quas committunt, bonis ſæpiſſime erunt conjungenda.

§. XXIV.

Pœna cum actionibus malis jungendæ.

Pœnæ cum actionibus malis educandorum ſunt conjungendæ. Cum enim averſatio ſenſitiva tanto fiat vehementior, quanto clarius malum menti ſiſtitur, imaginatio vero malum clariſſime ſibi ſiſtat, ſi id cum actione mala conjunctum, non ſine averſatione ſenſit, ut educandus a malo abhorreat, id cum pœnis erit conjungendum.

§. XXV.

Præmia copioſiora eſſe debent, quam pœnæ.

Oportet tamen in præmiis quam pœnis gubernatorem ubi indolem nactus eſt elegantiorem, eſſe copioſiorem. Cum enim gubernator ad ea educandum perducere debeat, quæ ſtatum ipſius internum & ex-

& externum perfectiorem faciunt, perfectior vero is ſit ſtatus, ubi quis ratione & laudis amore ducitur, quam ubi ſervi inſtar, invitus quodammodo, ad agendum impellitur, primum vero operentur præmia, ſervilem vero animum pœnæ ingenerent, liquet gubernatorem ad præmia potius, quam ad pœnas repetendas inclinare debere. Id quod agnovit etiam Poëta canens: ſit piger ad pœnas, velox ad præmia princeps.

§. XXVI.

Bonis artibus ſunt imbuendi.

Bonis artibus pro ætatis cujusque capacitate educandi a gubernatore ſunt imbuendi. Faciendus nimirum ſtatus educandorum perfectior, ad eam vero perfectionem quin pertineant bonæ artes, tam certum eſt, ut hic demonſtrari nemo poſſit poſtulare. Proinde bonis artibus pro capacitate ſunt imbuendi.

§. XXVII.

Mores elegantes aſſuefaciendi.

Ad convenientem morum elegantiam a gubernatore educandus eſt aſſue faciendus. Vivendum enim erit ipſi educando, dum ætate major fuerit, in aliorum hominum frequentia, utpote ſine qua crediti olim officii ſui partibus defungi non poterit, in ea vero hominum frequentia ii adhibendi ſunt mores, qui ex laudato Reip. illius uſu publica ſunt auctoritate introducti, quod moribus iis aliorum nobis conciliamus & exiſtimationem & benevolentiam, contrariis vero & agreſtibus eam a nobis repellimus; ut vero hos mores facile tum exerceat ille, habitus illorum eſt acquirendus, qui cum per frequentatas actiones demum acquiratur, teſte experientia, ab ipſa

ipsa juventute ad frequentatos mores decoros & elegantes educandus a gubernatore erit assuefaciendus.

§. XXVIII.

Inter cætera vera *Virtutibus moralibus a gubernatore sunt assuefaciendi.* Sunt nimirum educandi ab eo (§. 9.) habitusque boni eisdem communicandi (§. 27.), frequens vero virtutum moralium exercitium habitum in iisdem generare experientia notum est, proinde ut habitus boni in educando progignantur, ad continuum virtutum moralium exercitium sunt assuefaciendi. *Virtutibus moralibus sunt assuefaciendi.*

§. XXIX.

Fidei gubernatoris commissi educandi ad Deum colendum sunt adducendi. Vult enim Deus ab hominibus coli universis, quia, quotquot sunt homines, actiones suas liberas dirigere ex Divina voluntate debent, ut gloria divina manifestetur, adeoque ut attributa divina sint motiva actionum humanarum, adeoque Deus vult, ut certas actiones edamus, quia ipsum agnoscimus, eas non edituri, si eum non cognosceremus (§. 1121. *Tom. I. Jur. Nat.*). Sunt autem fidei gubernatoris commissi homines, a quibus Deus coli vult, adducendi igitur sunt a gubernatore educandi, ut Divinas perfectiones agnoscant, eas actionum suarum liberarum motiva habeant, &, dum hæc ipsa constanter agere assuescunt, laudatissimam contrahant consuetudinem huic in Deum officio constantissime satisfaciendi. *Ad Deum colendum sunt adducendi.*

§. XXX.

Ex quibus, liquet gravissimam esse gubernatoris obligationem, ab eoque postulari, ut educando- *Obligatio gubernatoris.*

rum indolem & ingenium noſcat, ut propoſitis virtutum exemplis eos ad ſimilia excitet, & enarratis malorum pœnis a flagitiis avertat, &, dum corpopori firmando & ad omnes actiones olim efficiendas idoneo faciendo invigilat, id ita agat, ne pravo aliorum exemplo teneram educandi indolem corrumpi pērmittat; excitandus eſt præmiis ſæpe repetitis, ubi educandus præclare egit, &, ubi aſper eſt monenti, pœnis etiam cogendus. Inter ſcientias, educando utiles, earumque ordinem caute ipſi diſtinguendum, ne ætati unicuique apta negligat, alia, quibus educandi ætas matura nondum, & tempus utiliora agendi eidem eripiat; imprimis vero ad virtutes Deumque colendum aſſuefaciendus eſt fidei ejus commiſſus, &, cum quotidiana exempla animum educandi poſt ſe facile trahant, ipſe gubernator præclaris ſemper exemplis, educando quotidie debet prælucere, ne in gubernatorem applicari poſſit Plautinum illud.

Probum patrem eſſe oportet, qui filium ſuum
Eſſe probiorem, quam ipſes fuerit, poſtulat.

§. XXXI.

Paragraphos, in quibus principia noſtrarum demonſtrationum in Philoſophia Wolffiana evincuntur, allegare non neceſſarium eſſe duximus: quoniam illa jam lectori nota eſſe ſupponimus:

TANTUM.



The-

Theſes aliquot

I.

Adamus in ſtatu integritatis ſi perſtitiſſet, non opus habuiſſet revelatione.

II. *Anima ſingulis momentis producit ideam hujus univerſi.*

III. *Animarum præexiſtentia maximo probabilitatis gradu defendi poteſt.*

IV. *Athei in republica tolerari nequeunt.*

V. *Infinitudo intellectus Divini optime poteſt demonſtrari.*

VI. *Intellectus Dei eſt unicus fons eſſentiarum.*

VII. *Deus ideo exiſtit, quia eſt poſſibilis.*

VIII. *Difficile admodum videtur probatu ex principiis rationis, mundum eſſe creatum in tempore, non vero ab æterno.*

IX. *Origo primi peccati Adami bene eſt conceptibilis.*

X. *Omnes mutationes entis compoſiti fiunt per motum.*

ad Dn. Reſpondenten.

Quo tendis properante gradu? quis ſuſcitat ardor?
Scandere vis cathedram? digna argumenta juventæ,
Et digna ingenii vis docti oſtendere ſigna?
Sic bene! nempe ſuam debet diffundere lucem,
Sol, oculus mundi, neſcitque latere tenebris,
Sic etiam ingenii neſcit latuiſſe facultas
In lucem erumpit, radiis laudanda coruſcis.
Gratulor ingenii lucem, quæ pulchra nitoris
Signa hodie prodit. Votorum hæc ſumma meorum,
Creſce in perpetuam ſplendenti lumine famam,

Crescant ingenii vires, & docta facultas
Sic ut semper honos, semper laudesque perennent.

Ita, Nobilissime ac Doctissime Domine Respondens, gratulabundus amorem lætitiamque significare voluit.
JOH. RUD. ANT. PIDERIT,
Homberga-Hassus.

Ut vigilans Sophiæ incumbas, hoc pagina docta,
Quam tradis, monstrat, certaque signa refert.
Hoc dum præclaro nunc ausu, Dulcis Amice,
Impiger ostendis; gratulor ex animo.
Pergito sic Musis intendere, pergito amare
Artes Palladias, gloria quas sequitur
Quæ pretiosa ferens, Tibi præmia, largaque tandem
Præmia divitiis utiliora vagis.

Ita Doctissimo Domino Respondenti, Amico suo suavissimo accinere voluit, debuit.
C. v. ROHDE.
Cassel. Hassus. SS. Theol. Studiosus, opponens.

Vergnügter Freund! die Musen sind dir hold,
Daß du die reine Milch der Wahrheit eingesogen,
Du suchtest nur Verstand, der Weißheit ächtes Gold,
Und bliebst der Tugend stets, Trotz Müh und Schweiß gewogen,
Drum hast du auch nunmehr das schöne Ziel erreicht,
Wir wünschen daß du einst nach abgelebten Jahren
Des Himmels Glück und Gunst nnd Seegen mögst erfahren
Und froh und standhaft seyn, wenn sich was wiedrigs zeigt.

Seine Freude bey der glücklichen *Progressen* eines wehrtgeschätzten Freundes zu bezeigen/ setzte dieses hierher
H. F. SCHUCHARD, Elberfelda-Montanus
S. S. Stud. Opponens.

) o (